



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regale Sacerdotium Romano Pontifici Assertum

Sfondrati, Celestino

[Sankt Gallen], 1684

§. II. Rationibus & exemplis ostenditur, animum passionibus agitatum in errores prolabi Ecclesiæ fatales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63125)

tas cum non eligat, nisi quod amat; nec amet, nisi quod placet; nec placeat, quod affectui repugnat; plerumque id eligitur, quod affectum mulcet: & quemadmodum lingua bile, aut absynthio corrupta, quicquid infuderis, amarum erit: sic infecto passionibus animo quidquid dixeris, etiam si verum, nisi affectui respondeat, displicebit, & respuet.

Et tandem passio plerumque, & vehemens præsertim, cum corporis alteratione humorumque conjungitur, qui excitatis velut nebulis objecta aut minora, aut majora, aut alia exhibent, quam sunt; nec satis rationi permittunt, ut ad ea, quæ occurrunt, advertat, aut si advertit, nisi radioque tam debili, ut vix sentiat, & negligat æstu animum rapiente: quod ergo iudicium de coloribus à cæco expectes? & id quod passiones, *perturbationem animi* Philosophus definit; ut enim in pellucida, & tralucente aqua fundum videmus, qui turbata continuo latet, sic veritas placidum, quietumque animum intrat, commotum respuit iram præsertim, quæ quanto plus sanguinem accendit, tanto plus flammæ, fumique habet, & veritatem tegit. Audimones Sacros Canones. Gregorius in c. illa. 11. q. 3. *Illam, inquit, Præpositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vindicat. Restrungenda sub ratione potestas est, nec quidquam agendum prius, quam concitata ad tranquillitatem mens redeat: nam commotionis tempore iustum omne putat, quod fecerit.* Et idem D. Gregor. in c. summopere 11. q. 3. *summopere, inquit, praeavere debent Rectores Ecclesiarum, & qui publica iudicia exercent, ut in distandis sententiis nullatenus levitate, aut furore ducti sint precipites: sed causis prius diligenter ventilatis, cum res, quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit, tunc Divina, & humana lex resolvatur, & tunc secundum quod ibi constitutum est, remota personarum acceptatione, definitiva proferatur sententia. Hinc est quod Moyses querelas Populi semper ad Dominum, tabernaculum ingressus, referebat, & juxta quod Dominus imperabat, iudicia proponebat. Nimirum nos instruens, ut non ex corde nostro, sed ex præcepto divino, condemnationis, vel justificationis sententiam proferamus.* Et D. Ambrosius c. Ira 11. q. 3. *Ira sæpe etiam innocentes in crimen abducit: quia dum iusto amplius irascimur, & volumus alienum coercere peccatum, graviora peccata committimus; unde Dominus Jesus dimittens ad evangelizandum Discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine virga, id*

animum passionibus agitatum in errores prolabi. 75

ga, id est, ut & incentivalitus, & instrumenta eriperet ultionis. Et aptè Seneca, lib. 1. de Ira cap. 16. Judicis, inquit, tum maximè placidus esse debet, & in statu vultus, cum magna pronunciat. (a)

Quæ omnia dicta sunt cum in finem, ut agnoscas doctrinam à Conventu Parisiensi nuper propositam, vel hoc ipso suspectam reddi, quòd calentibus adhuc animis, & ut credebant, injustè lacessitis, concepta, & producta. Quid aliud poterant irati? *habet, inquit Seneca, ira aliquid voluptatis, & dulce est dolorem reddere; In illo videlicèt vindicandi æstu eum laudarent, eamque auctoritatem extollerent, à qua tam acriter vapulabant? & ferientis virgam amplexu exciperent, & non magis, si possent, excuterent?*

II. Néque hoc novum in Galliâ, cum plerásque in Ecclesia turbas ira conceperit ambitioni mixta, & viros etiam pietate, & doctrinâ summos in errorem impulerit. Percurre Historiam Ecclesiasticam, ex qua nonnulla tantùm, ne simus prolixi, decerpamus. Inter primas Hæreses fuit illa Nicolaitarum circa Annum Christi 68. & cum ipsa Ecclesia propè nata, viventibus adhuc Apostolis, cujus meminit D. Joannes in Apocalypsi: Auctorem habuit Nicolaum, ex septem primis Diaconis unum: origo hæc fuit. Ab uxore continentia causâ diverterat, sed impatiens amoris pristini thalamum repetiit: hanc ob causam abs Apostolis inconstantia postulatus, correptusque, irâ excanduit, & injuriam, ut credebat, vindicaturus, Apostolis sordidum errorem opposuit, neminem videlicèt in cælos admitti, qui voluptati non quotidie litaret. Alii aliter narrant; eum videlicèt, cum uxorem duxisset elegantis formæ, & propterea zelotypiâ flagraret, ab Apostolis reprehensum esse: Illum ægro animo id tulisse, & ardentem irâ uxori in plenum confessum adductæ Maritum, quem vellet, concessisse. (b)

III. Circa annum Christi CCCVI. & CCCXV. natum est schisma Meletii, & ex isto Ariana hæresis, quâ nulla gravius Ecclesiam Catholicam agitavit, tantùmque sanguinis, ac lacrymarum expressit, totum penè orbem pervagata. Utriusque initium ex offensis, iratisque animis fuit. Meletium Petrus Alexandriae

K 2

Episco-

(a) Vide D. Gregor. 1. 5. Moral. c. 31. & S. Thomam 1. 2. q. 48. a. 3.

(b) Vide Epiphanium hæres. 25. & Baronium ad annum 68.

Episcopus ob varia crimina Episcopatu exuerat, præsertim quòd pœnarum metu minùs fortiter contra infideles aciem duxisset, quàm Episcopum deceret: Ille pudorem, contemptumque non ferens, schisma contra Petum Alexandrinum molitur, totamque Ægypti Ecclesiam perturbat, & in factiones scindit: Huic inter primos Arius adhæsit, & ipse ambitione, irâque in transversum actus. Fuit Arius, teste Epiphanio, dialectica præsertim insignis, & prophanæ literaturæ admodum callens, ingenio acri subtilique, pietate, & studio religionis apud pleròsque egregiè commendatus, tantâque morum elegantiam, quam gravitas temperabat, ut animos priùs caperet, quàm obsideret, accedente præsertim eloquentiam, quâ præpollebat; sed gloriâ nimius, contemptusque impatiens, & idèò ad offensas pronus, nam ut bene Seneca: *Nunquam sine querela agra tanguntur.* Mortuo Achillâ Alexandriæ Episcopo sibi infulas promiserat, neminem ratus huic dignitati parem; sed electus Alexander æmulum invidiam perculit, quæ tunc maximè ex cinere in flammam emerit, cum in publico Catholicorum Conventu scripturas doceret; ortâ enim inter disputandum contentione, suamque doctrinam minùs observari ab aliis dolens, quàm cuperet, ut æmulos torqueret, (Alexandrum præcipuè, qui Filii cum Patre æqualitatem frequenter repetebat,) eandem æqualitatem impugnare aggressus est, nec priùs cessavit, quàm Episcopis, & Imperatoribus in sententiam suam raptis, Ecclesiam, à qua se contemptum dolebat, sædissimè vexaret. (a)

IV. Eadem pestis Luciferum Episcopum, & Tertullianum perdidit, duos Ecclesiæ nobilissimos Doctores, totique orbi, antequam caderent, summâ veneratione habitos. Luciferum commendabat eruditio maxima, pari sanctitati conjuncta, parique constantiæ in tuenda Religione; pro qua, ut erat animo invicto, gravissimas pœnas vicit, & quater in exilium abiit, donec à Juliano Imperatore revocatus, naufragium in portu fecit, quem tormenta non poterant, expugnante irâ. Missus fuerat Antiochiam à Summo Pontifice Legatus, ut schisma inter Catholicos componeret, aliis Eustathium, aliis Meletium Episcopum acclamantibus: sublato

(a) Vide Baronium ad annum 313.

lato è vivis Eustathio Lucifer Paulinum suffecit defuncto prædilectum; quæ res Meletii partem adedò offendit, ut spem omnem conciliandæ pacis abrumperent. Supervenit Eusebius Vercellensis Episcopus, & ipse notæ jam sanctitatis, qui ubi advertit imprudentiâ Luciferi, & Paulini electione, schisma, & discordias extra remedium esse, Luciferum præcipitatæ electionis arguit: *Paulinum Episcopatu quidem dignum esse, sed per mortem Eustathii Deo litem dirimente quid opus fuerit novum ignem accendere, & intempestivâ electione altari opponere? si Episcopatum Meletio reliquisset, pacem jam fore, nunc Christianos mutuis contentionibus perire.* Indignissimè hoc Lucifer tulit, cum crederet eò se provectum, ut errare non posset, nec aliquid facere vituperio dignum; ergo amicitiam cum Eusebio abrumpit, & in Sardiniam profectus ferale Schisma Ecclesiis, bellumque indicit, in quo mortuum Baronius scribit. Hinc errores, & hæresis Luciferianorum, ex carne videlicet animam propagari, lapsosque Episcopos non esse ad dignitatem recipiendos, si pœnituerint. (a)

Quid de Tertulliano dicam? qui non tam admirationi, quàm miraculo fuit? Omni scientiarum genere, sacræ, profanæ, naturalis, Divinæ, supra omnem commendationem cultus: Eloquentiâ tam forti invictâque, ut, teste Vincentio Lyrinensi, quot in illo sunt verba, tot oracula; & quot oracula, ac sententiæ, tot palmæ & victoriæ: Sanctitas vitæ, ardorque tuendæ Religionis ingenium & doctrinam æquabant: quicquid scriberet, aut doceret, tot erant trophæa recentisque Catholicorum triumphis; nec in illa tam acti, sævâque persecutione majus habuit Ecclesia aut solatium, aut asylum, quàm Tertulliani calamum, linguamque: quis crederet lapsurum hunc Colossum? lapsus est tamen, non terræ, sed animi motu: quòd Sacerdotes Romani illius gloriæ inviderent; quòd contra ejus sententiam Zephyrinus Papa adulteros ad pœnitentiam reciperet; quòd Episcopatu Carthaginensi, quem ambiebat, repulsus; causæ fuerunt desertæ Religionis, quam toties antè defenderat. Montanismum amplexus est, & fæminarum deliciis captus, quàm plurimis erroribus insenuit, felix pulcherrimis initiis, sed turpissimo fine miserimus: De utroque scribit Augustinus *Soliloq. cap. 29. Vidimus*

K 3 *multos*

(a) Vide S. Aug. de hæresib. cap. 81. & D. Hieronym. lib. contra Lucifer.

78 Prælid. §.II. Rationibus & exempl. ostenditur

multos Domine, & audivimus à Patribus nostris, quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor; ascendisse primitum usque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasse: postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse: vidimus stellas de cælo cecidisse, & eos, qui inter filios DEI ambulabant, in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse.

V. Nimii sumus, si antiquitatis singula exempla producamus: dabimus unum, alterumve nostri temporis, ex quibus æquè intelligas, in quos errores animus ambitioni, iræque impotenter obsequens præcipitet. Quas clades Lutherana hæresis Ecclesiæ dederit, palàm est: ejus origo ex jurgiis, & æmulatione ducta. Wittenbergiæ lauream Doctoralem incinxerat Lutherus, & cum plausu ob torrentem eloquentiæ, & præstantiam memoriæ audiebatur: hinc illi cum Theologis Scholasticis æmulatione nata, quos frequenti disputatione, editisque libellis, quotidie læcessabat. Sub illud tempus Leo X. Christianos Principes ad bellum Turcis inferendum sociebat, piàsque in belli expensas oblationes colligi jusserat. Id negotium Patribus D. Augustini dari solitum; sed Albertus Archiepiscopus Moguntinus ex alio Ordine ad hoc munus quæstores delegit. Conqueri palàm Augustiniani hoc contemptum interpretati, datumque Luthero negotium, ut contra quæstores pro suggestu declamaret; fecit hoc ille non tantum acriter, sed furiosè; nam impetu, & vindictâ ferebatur: nec contentus vocibus, libros, & disputationes adjungit, & quod irati solent, extra metas procurtens, aram fidei tangit, premitque: hinc ab æmulis, & præsertim Romano Inquisitore notatus errorum, & minis territus. Nimis erat superbus, ut scripta omnium manibus sparsa recantaret, multoque minus, ut pateretur æmulos vincere; ergo ut illos perderet, à quibus premebatur, Ecclesiam incendit, perque communes flammam in tutum evadit. Dubites plus damni à Luthero Ecclesiæ acceperit, an à Friderico Duce Saxonix, qui & ipse privatis injuriis à Papa, & Archiepiscopo, ut credebatur, offensus, animum, opes, & asylum Luthero præstitit, sine hoc pariete illa hederâ concidisset: ergo Schisma Lutheranum ambitioni, iræ, mutuisque jurgiis debemus.

VI. Idem Angliæ infortunium. Thomas Volsæus Regnum

una

unâ & Regem moderabatur, tanto fastu, ut plerumque sic juberet: *Rex & ego*: Carolo Imperatori tam charus, ut cum illi scriberet, ad calcem epistolæ adjungeret: *Filius vester Carolus*: ab hoc Papatum sperabat, sed mutato Caesaris animo delusus vindictæ se accingit. Suadet Henrico Catharinam Imperatoris Materteram repudiet: Et facile persuasit aliam amanti; ea fuit Anna Bolena ex Catharinæ gynecæo. Petita à Julio II. Pontifice Max. dispensatio, sed negata, quod diceret, constante primo Matrimonio eam dari non posse. Rex amore victus Annam occultè prius, dein apertè & cum apparatu ducit. Papa excommunicationem minari. Intercessit tamen excommunicationi Franciscus I. Rex Galliarum, impetravitque terminum, etsi angustum, pœnitentiæ Henrico præscriptæ; die ultimâ jam consumptâ, nec apparente Nuntio in Angliam dimisso, diræ in Henricum pronuntiata, publicisque locis affixæ. Vix biduum fluxerat, & ecce! Nuntium, & litteras ab Henrico obsequii, & Reverentiæ plenas, quibus Pontifici causam submittebat; sed divulgatâ jam sententiâ, & paullo post in Angliam appulsâ, tantum iræ concepit Rex, ut Papam ejurârit, seque Caput Ecclesiæ jufferit: Recepti in Angliam Lutherani, & fides toto Regno expulsa: huc ira, & indignatio pervenit. Pœnituit enimverò Papam biduum non expectâsse; tantulâ enim morâ Angliæ Regnum constabat; sed Imperatoris Amici Pontificem impulere, qui serò didicic verissimè à Philolopho dictum: *Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit.* (a)

His exemplis satis, ut opinor, constat, quantum sit periculi irato, infensoque animo Religioni consulere: quid enim aliud tunc lingua dicat, quàm quo animus redundat? *Habet iracundia hoc mali, inquit Seneca, lib. 1. de irâ. c. 16. non vult regi, & irascitur veritati, si contra voluntatem suam apparuerit; nec quicquam magnum, nisi quod simul & placidum: malè irato ferrum committitur, & calamus; viròque enim feriet.*

VII. Oportebat planè Gallos cogitare; conventum ab illis hoc tempore indictum, cum mutua querelæ, & offensæ ardebant, & propositiones in Comitibus vulgatas, non Religioni adscriptum iri, sed vindictæ, tantòque magis, cum viderent Pontificem Max. non sui, suorumque, sed Episcoporum gratiâ, utque illis libertatem

affere-

(a) Vide Senecam lib. 2. de ira cap. 22.

80 Prælod. §. II. Rationibus & exemplis ostenditur

assereret, in aciem progressum. Enimverò si non gratitudinis, at saltem humanitatis erat, quæ Gallis adeò curæ est, eo tempore, quo Papa pro eorum amplitudine, tam ardentem, tamque invictè pugnavat, nihil hostile contra bene meritum moliri: demum Papam terminos egressum; at Illos tuendi causâ hoc fecerat; cur ergo arma in Defensorem conversa, quem potius excusari decebat etiam errantem: præsertim in conspectu Hæreticorum, quibus nullum gratius poterat exhiberi spectaculum, quàm Vaticani oppugnatio; si ergo nec sibi parcere animus erat, nec Papæ, saltem Religioni pepercissent, quam risibus hostium, & ludibrio exponebant, Pontificis Auctoritatem tam fœdè, & palàm aggressi; aut distulissent: quod enim in mora periculum, si spatium aliquod componendis motibus darent, & serias, ac tanti momenti curas in serenum, pacatùmque tempus differrent? plus tunc ponderis, & fidei reperissent placidè concepta; nunc per tumultum, & rixas effusa, vel hoc ipso à prudentibus respuuntur, quòd ex impetu fluxerint. Prudenter Livius *Decade 3. lib. 3.* ubi orationem Hannonis recitasset, quæ Carthaginiensibus à Cannensi victoriâ pacem suadebat, Romanis facilè daturis, quia victis; subjungit: *Haud multos movit Hannonis oratio; nam simultas cum familia Barchina leviolem auctoritatem faciebat;* ita quidquid dixeris, quod doctrinam, ac æstimationem Parisiensis Conventus augeat, semper respondebitur: *sed simultas cum Romano Pontifice leviolem auctoritatem facit, irascebantur.* hoc unum, si alia deessent, & doctrinæ fidem, & auctoritati Majestatem ac venerationem ademitt, ut enim & ratio, & experientia ostendit, vera, & à Deo inspirata doctrina pacem amat, & nunquam ex contentione profluxit, omnis, inquit Christus, *Matth. 15. v. 13. plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur:* quod ambitio, quod ira, quod contentio plantavit, non est doctrina Patris, nec ab hoc plantata, & ideò nec radices factura.

